



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 162. Qualiter se genere debeat Ordinarius, dum impedimentum ad eum delatum est.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



*Quest. 162. Qualiter se gerere debeat ordinarius, dum impedimentum ad eum delatum est.*

**1.** Resp. primò: Debet investigare impedimenti veritatem, & si fortè ei respondeatur, esse deluper dispensatum, debet videre, an dispensatio data sit solum pro foro interno, an etiam pro foro externo. Si data pro solo foro interno; cum ea utpote non operans ultra mentem dispensantis, non profit pro impedimento delato ad forum contentiosum, non potest illos conjugere. Quinimò, si etiam post matrimonium contractum opponatur impedimentum dirimens, cujus obtenta dispensatio solum pro foro conscientia, debere illum eos separare, ac cogere ad vitam cælibem ducendam, donec obtineatur quoque dispensatio pro foro externo, tenent Cón. n. 64. Gutt. n. 60. Sanch. d. 16. n. 15. Castrop. n. 6. qui posterior unà cum Pont. L. 5. de matr. c. 36. n. 7. tradit, quòd si contrahens falsis testibus probaverit, impedimentum sit oppositum nullum esse, posse Judicem, tametsi falsitatem agnoscat, eos matrimonio conjugere, eò quòd eo casu publicitas fori externi jam sublata sit.

**2.** Resp. secundò: Si ordinario ex propria notitia, & non ex alterius revelatione constaret de impedimento, debet is etiam ignorans dispensationem deluper obtentam esse, eos conjugere; eò quòd nequeat esse simul testis, & Judex; ac proinde ejus scientia nullius sit efficaciam ad impediendum matrimonium. Castrop. n. 7. citans Sanch. d. 15. n. 14. Gutt. c. 60. n. 5. Cóninck. d. 27. d. 7. n. 59. & adducens simile de irregulari petente publicè ordines, quem Episcopus ex irregularitate sibi soli nota nequit repellere juxta c. ex tenore. de temp. ordm. Verùm hoc jus correctum esse, jure novo Trid. vicujus talem Episcopus possit repellere, ostendunt alii.

*Quest. 163. Quodnam dicendum matrimonium contractum clandestinè in ordine ad incurrendas pœnas statutas clandestinè contrahentibus.*

**1.** Resp. primò: non videri clandestinè contractum in ordine ad dictas pœnas matrimonium, quod justè seu sine culpa ommissis denunciationibus, consummatur dein illicitè ante præmissas mittendas denunciations consummationi. Pœnæ illæ siquidem impostæ sunt injustè seu cum culpa clandestinè seu ommissis denunciationibus contrahentibus. Sed tales non sunt, qui solum, postquam justè ommissis denunciationibus, præceptis aliàs præmitti ante contractum contraxerunt, dein ommissis culpabiliter denunciationibus præceptis præmitti consummationi, matrimonium contraxerunt.

**2.** Resp. secundò: Censeri matrimonium clandestinè contractum in ordine ad has pœnas, quod, etsi celebratum coram Parocho & testibus, celebratum tamen est ommissis culpabiliter denunciationibus. Siquidem tale matrimonium jure antiquo agnitum est clandestinum clandestinitate, supra quam pœnæ statuta clandestinè contrahentibus cadebant, ut constat ex c. ult. h. r. à jure autem antiquo non est recedendum, nisi per novum expressè corrigatur. Neque obstat, Tridentinum matrimonia clandestina irritare; & tamen non irritare celebrata coram Parocho & testibus ommissis denunciationibus; quia non annullavit matrimonium quodcumque clandestinum, sed celebratum

sine Parocho, etsi aliàs celebratum coram omni populo. Ita tenent Sanch. L. 3. d. 1. n. 7. Ponc. L. 5. c. 37. n. 7. Gutt. c. 75. per tot. Henriq. L. 11. c. 6. n. 2. Castrop. §. 14. n. 1. Pirh. h. r. n. 38. contra Pet. Ledesm. q. 45. a. 5. Hurt. d. 5. diff. ult. Molin. Tom. 1. de just. r. 2. d. 176. qui quia putant tale matrimonium non esse clandestinum, excusant illud à pœnis. Unde jam inferitur cum Sanch. l. c. d. 1. n. 10. contra Innoc. in cit. c. fin. n. 2. & Abb. ibid. n. 9. aliòsque ceteri clandestinum, si celebratur coram Parocho, & coram vicinia totaque civitate ommissis denunciationibus. Licet enim in hoc casu celebratur publicè publicitate simpliciter, non tamen publicitate legali, eà scilicet, quam jus desiderat, & quam ommissam punit; jus enim in hoc casu non punit defectum publicitatis utcumque, sed ejus, quam exigit pro tali actu, nempe publicitatem per denunciations.

**3.** Resp. tertio: Matrimonium celebratum sine Parocho & testibus in locis, in quibus Trident. non receptum venit nomine clandestini in ordine ad pœnas incurrendas. Sed de hoc paulò post.

*Quest. 164. Quæ pœna contrahentibus clandestinè ommissis denunciationibus.*

**1.** Resp. primò: Prima pœna est illegitimitas prolium natarum ex tali matrimonio, dum illud contractum cum impedimento dirimente consanguinitatis vel affinitatis, non obstante bona fide parentum, dum nimirum contrahentes, vel saltem unus eorum ignoravit dictum impedimentum; cum aliàs filii nati ex matrimonio putatio invalido ob dictum impedimentum stante bona fide parentum, sint legitimi. c. ult. h. r. ubi: *Si quis hujusmodi clandestina vel interdicta matrimonia (intellige facta sine denunciationibus) inire presumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censetur, de parentum ignorantia nullum habuura subsidium: Et mox subiungitur ratio: Cum illi saltem (intellige ommissis denunciationibus) contrahentes non expertes scientia, vel saltem affectatores ignorantia videantur &c.* Siquidem probabilis ignorantia non est, si culpabiliter omitantur; quæ requiruntur, & ut talia præcipiuntur. Estque talis ignorantia indirectè voluntaria, & dicitur affectata, ut patet ex recitato textu. Sanch. L. 3. d. 42. n. 1.

**2.** Circa quam pœnam notandum primò; tale matrimonium clandestinum debere esse invalidum, aliàs ex eo nati non erunt illegitimi. Castrop. cit. §. 14. n. 4. pro ut constat ex cit. textu.

**3.** Secundò notandum. Tamen hæc pœna statuat, dum matrimonium est invalidum ob impedimentum consanguinitatis vel affinitatis, locum tamen etiam habeat, dum matrimonium est invalidum ob quodcumque aliud impedimentum dirimens, juxta tamen limitationem mox subiungendam, quia mentio de impedimento gradus prohiberi fit tantum exempli gratia. Ratio verò ibi expressa, nimirum, quòd parentes affectatores ignorantia videantur, dum debitam & præscriptam in inquirendo diligentiam non adhibuerint, militat in omni alio impedimento. Sanch. l. c. n. 4. Cóninck. d. 27. du. 9. à n. 77. Pirh. h. r. n. 37. Nihilominus Castrop. l. c. n. 3. citans Ponc. l. 5. c. 37. n. 7. censet contrarium, nempe pœnam hanc illegitimitatis prolium tantum habere locum in contrahentibus clandestinè in gradu consanguinitatis vel affinitatis prohibito; eò quòd textus id tantum exprimat, & pœnæ non sint extendendæ, etiam ubi eadem